

consecrationem, nondum Sacramento Confirmationis suscepto.

Resp. Posse, cum nullum jus prohibens extet, regulariter tamen Episcopus non debet admittere virgines ad consecrationem, antequam confirmentur. Si enim omnis fidelis confirmari debet, ut plene Christianus inveniat, a fortiori debent id facere virgines, quæ Sponsi Christo desponsari debent, & consecrari.

Quar. 10. An solemnis consecratio monialium possit iterari.

Resp. Non posse, ita Miranda *q. 7. de monial. n. 7.* Quia licet sit simplex benedictio, per quam nulla tribuitur potestas, adhuc tamen est quædam sanctificatio, qua monialis suo modo consecratur, quod autem semel consecratum est, remanet semper tale, unde nec benedictio nuptiarum iteratur, nec similiter benedictio sacrarum vestium.

Quar. 11. An saltem sit reiteranda consecratio monialium nulliter professarum, revahdata professione.

Resp. Videri quod sic; quia professio est qualitas fundamentalis præsupposita ad consecrationem. Nulla igitur existente professione, nulla quoque erit consecratio: dum deficit fundamentum, non potest locum habere, quod in ipso fundatur, *l. nam. orig. ff. quod vi, aut clam*, atque ideo erit reiteranda. At negative resolvendum, sicut de benedictionibus nuptiarum, quando matrimonium fuit nullum, ob occultum aliquid impedimentum, testatur Sanch. *de Matr. l. 2. disp. 37. n. 13.* Ita S. Cong. quæ rescripsit Episcopo *Parment. 17. Aprilis 1577.* moniales nulliter professas non esse re-consecrandas, sed posse tolerari, solumque

ea.

earum professionem esse supplendam, & cautè ratificandam.

Quar. 12. An consecratio monialium conferat gratiam, remittatque peccata venialia.

Resp. Conferre gratiam, & remittere peccata venialia, non quidem ex opere operato, alias esset Sacramentum, est falsum, sed solum remote & per modum impetrationis, quatenus aliqua ratione ex meritis, & intercessione Ecclesiæ talis consecratio excitat in consecrata attritionem, & displicentiam peccatorum, atque adeo remissio obtinetur ex opere operantis. Ita ex D. Th. *3. p. q. 87. a. 3.* & Suarez, *loc. cit. n. 14.*

CAPUT IV.

De Voti Paupertatis obligatione.

S. I.

De natura Voti Paupertatis.

Quar. 1. Quid sit paupertas religionis.

Resp. Esse voluntariam abdicationem proprietatis factam a Religioso, dum emittit professionem in Religione approbata. Per hoc votum prohibetur non solum actus externus habendi, & contrectandi proprium, sed etiam internus, nempe voluntas habendi proprium. Quia, quando prohibetur aliquid, interdicitur etiam omne id, quo pervenitur ad prohibitum; unde quia per voluntatem pervenitur ad actum externum, actus quoque internus censetur interdictus. Non peccaret tamen monialis, si haberet desiderium habendi divitias sub conditione, si non esset voto paupertatis adstricta, quia

D. 4. illa

illa conditio excludit propositum agendi contra votum; & solum illud desiderium posset esse peccaminosum, si exponeret monialem periculo delinquendi contra votum.

Quar. 2. An monialis ex vi voti paupertatis reddatur incapax testandi in morte de propriis bonis.

Resp. Cum communi affirmative, quia ex vi voti redditur incapax habendi proprium, & hoc verum est, etiam si ad pias causa testari vellet. Hinc est, quod neque de propria cella potest disponere, quia jus nullum habet, sed tantum usum sua morte finiendum; unde adveniente morte, aut quocunque alio casu, fieri debet illius distributio monialibus anterioribus professione. S. Congr. in *Mutinesi* 10. April. 1615. Vacantes cellæ debent assignari, secundum antianitatem, nec Superior regularis potest aliter ordinate in *Ferrariensi* 3. Junii 1597. & antianitas incipit a die professionis, emissæ, non a die habitus suscepti, 5. Julii 1645 idque non obstantibus Superiorum mandatis in *Mediolan.* 5. Febr. 1601. Nisi tamen in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuantur, & assignentur ad arbitrium Abbatis, & Discretarum, in *Mutinesi* 24. Jan. 1613. Concedi potest moniali cellam ædificare, eaque uti sua vita durante, vel alia a consanguineis ædificata, in *Casertensi* 2. Jan. 1601. Non tamen potest illam vendere, in *Mediolan.* 8. Novembr. 1625. licet vellet erogare pretium in utilitatem monasterii, nisi de licentia S. Congr. & consensu monialium, in *Veneta* 3. Maji 1647. neque decernere, quod monialis antiana; quæ cellam optare vult, tenetur aliquid solvere, in *Jan.* 22. Decemb. 1620.

quod

quod servari debet etiam in casu permittitur, ne via fraudibus aperiat, in *Neapolitana* 17. Novemb. 1628. Datur tamen aliquando facultas Abbatis, & monialibus, ut ob aliquam legitimam causam capitulariter, & per vota secreta possit cellas vacantes professione posterioribus concedere, ne moniales contra votum paupertatis abrogent sibi cellas tanquam proprias, 19. Maji 1619. Nulla vero monialis cogi potest ad optandas cellas, in *Nolana* 10. Junii 1616. Fufe de hac re *Pignatelli* tom. 10. consult. 34. Existimat nihilominus *Rosignoli de Restit.* 1. pravor. 10. m. 12. quod existente consuetudine; ut moniales transmittant sua cubicula cum supellestili ad suas alumnas, non peccant sic transferendo. Quia ista ordinata successio semper est cum voluntate implicita Superioris dictæ consuetudini se conformantis: taliter tamen, ut si velit, possit illam possessionem remove, & successionem interrompere; atque adeo in hoc nihil reperitur, quod adversetur naturæ voti paupertatis, quæ proprietatem tantum respicit, non usum ad nutum Superioris revocabilem.

Quar. 3. An monialis professa possit testamentum ante professionem a se factum declarare.

Resp. Posse, sistendo in vera, & propria declaratione voluntatis incertæ; secus vero si declaratio recipiat dispositionem, quæ de jure est certa, & monialis velit illam declarare, quia ista non tam est declaratio, quam nova dispositio, quæ voto paupertatis repugnat. Mantica, Rodriq. Sanch. & Peregr. ad *Const. sui ord.* p. 2. c. 1. §. 36.

D 5

Quar

Quar. 4. An monialis peccet contra votum paupertatis, si recipiat pecunias sæcularium in depositum absque licentia Abbatisæ.

Resp. Non peccare, quia in tali casu nec dominium, nec usum, neque administrationem illius pecuniæ accipiat; sed hæc omnia remanent apud deponentem, solo officio custodis admisso, quod voto paupertatis non videtur prohibitum. Ita cum aliis *Diana loc. c. ref. 66.*

Quar. 5. An monialis sumens aliqua bona monasterii pertinentia ad cibum, & potum, frangat votum paupertatis.

Resp. Cum *Suar. r. 3. de Relig. lib. 8. c. 11. n. 41.* non frangere; nisi damnificatio religionis esset nimia, & in re extraordinaria, & pretiosiore. Extra hujusmodi casum res pertinentes ad cibum, & potum reputantur levioris momenti, etiam si tractu temporis perveniant ad quantitatem notabilem, quia ista minima furta in tali materia non continuantur, neque multum damnificant. *Diana loc. c. ref. 45.* Et quamvis Abbatisæ hoc displiceat, non tamen ita censeri debet involuntaria, ut illam reputet materiam gravem in ordine ad paupertatem; monialis enim quo ad usum hujusmodi rerum tractatur ut filia; inter parentem autem, & aliam non censetur hujusmodi actio gravis.

Quar. 6. An monialis, quæ invita Abbatisæ repetitis vicibus surripit modicum panis, vini, &c. & dat extraneis, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur.

Resp. Dux extant Doctorum sententiæ. Prima ait, quod peccet tantum venialiter; cum tamen valor rei surreptæ pervenit ad notabilem quantitatem, tunc ultimum furtum præcedentibus accedens efficitur mortale, nisi

monialis in commissione ultimi furti habeat animum, saltem virtualiter, restituendi minuta furta priora; quia tunc nullum fit damnum notabile. Vel nisi, magnis interpositis intervalis, ejusmodi furta committat; quia superiores minus ægre ferunt, quædam sibi auferri longo intervallo, quam eandem quantitatem simul vel brevi tempore. Ita, a *liis relatis, Bart. a S. Faust. l. 8. q. 189. in suo Thes. Secunda opinio concordat cum prima quoad restitutionem faciendam; negat tamen, quod illud ultimum furtum complens notabilem quantitatem fiat mortiferum virtute priorum. Quia sicuti ex peccatis venialibus quantumcunque multiplicatis non confurgit mortale; ita neque ex illis furtis, quæ levia sunt, & venialia, confurget culpa lethalis. Navar. c. 17. n. 185. & *Viga lib. 14. in Conc. Tr. c. 11. in fin.**

Quar. An moniales dantes extraneis, ut supra, modicum panis, & vini incidant in excommunicationem latam ab Episcopo contra hujusmodi surripientes.

Resp. Affirmative, quia, licet admisa supradicta opinione, mortaliter non peccent, atque adeo ex hoc capite non incidant in excommunicationem, quæ ferri non potest nisi in mortaliter peccantes; potest tamen ex justa causa imponi præceptum sub excommunicatione de re, quæ alias non erat gravis, & tunc moniales non obtemperantes peccant mortaliter, non quia surripiant, sed quia ex suppositione præcepti sub excommunicatione nolunt obtemperare, & a furtiolis illis abstinere, & sic excommunicationem incurrunt; quia, cum monasterium per furtiola a pluribus facta patiat grave detrimentum, adest justa, & gravis causa ferendi salem excommunicationem. *Salmantic. in*

Theol. moral. t. 3. tr. 13. cap. 5. pun. 3. §. 3. n. 29.

Quar. 8. Quam bonorum monasterii quantitas requiratur, ut, ea sine licentia Abbatisse usurpata a moniali, ad peccatum mortale pertingat.

Resp. Quot capita, tot sententiae. Rebelius, Grassius, Bonacina, & alii asserunt, eam quantitatem sufficere, quae sufficit in secularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furci. Rodriq. & Aragonius putant, monialem tunc committere furtum, quando ascendit ad summam duorum aureorum. Alii volunt, quantitatem notabilem in religiosorum furtis, pensandam esse in particulari pro temporum, locorum, personarum, & aliarum circumstantiarum differentia, iudicio & arbitrio boni viri. Ita Miranda. Alii determinant pro materiae sufficienti ad peccatum mortale quantitatem duorum argenteorum, ut Mendoza: trium, Barthol. a S. Fausto: quatuor, Jorde la Cruz, & Sanch. octo vero, aut novem in rebus, quae actu non consumuntur, Ledesma. Alii tandem furtum religiosi comparant cum furto filii familias in ordine ad res monasterii, ita quod ea quantitas, quae ablata a filio ex bonis paternis, inducit peccatum mortale, sufficit etiam ad arguendum religiosum de peccato mortali, est enim in utroque par ratio, quia sicut bona paterna reservantur filiis, ita bona monasterii reservantur religiosis ad eorum sustentationem. Ex his placitis tam variis, quae certe innotentur variis rerum circumstantiis, videat Confessarius, quid in unoquoque casu sit determinandum.

Quar. 9. An monialis delinquat contra votum paupertatis, si mutuet, aut commo-

det.

det ex rebus ad ipsum usum concessis.

Resp. Peccare, si id faciat absque Abbatisse licentia saltem tacita, quia monialis est mere usufructuaria, & usufructarius non potest concedere alteri usum rei permittit, ut habetur *insir. de usu, & habit. §. 1. & 2.* Non peccat tamen mortaliter, si sit secuta de restitutione rei commodatae, aut mutuatae, idque sive commodatum, aut mutuum sit intra idem monasterium (quo casu facilius praesumi potest licentia tacita) sive extra; quia mutuum, & commodatum non aestimantur gravis materia. Ita Layman, Sanchi & Peyrinus, quos refert, & sequitur Diana *l. c. res. 14.*

Quar. 10. An peccet monialis contra votum paupertatis, si sine licentia Abbatisse rem monasterii ad communem usum deputatam immuet in aliam proprio usui applicandam, v. g. ex sindone formando linteola.

Resp. Peccare, & quidem mortaliter, si adsit gravitas materiae; quia talis immutatio, & applicatio ad proprium usum importat actum, qui non potest exerceri nisi a domino; haec autem adversantur voto paupertatis. Alphons. de Leone *de off. Confessi. recoll. 11. n. 111.*

Quar. 11. An peccet monialis, quae habens ex peculio sibi concessio necessaria ad vestitum, recipit ab Abbatisse vestem singulis annis dari solitam.

Resp. Non peccare, quia recipiendo illam vestem utitur jure suo, quare nemini facit injuriam, praesertim, cum illam vestem recipiat ab Abbatisse, quae praesumitur conscia peculii concessi, unde non potest dici involuntaria.

Quar. 12. An monialis eo ipso, quod deputatur ad officium aliquod monasterii exigens multas & graves expensas ab ipsa faciendas,

das,

das, possit sine licentia recipere ab amicis, & consanguineis pecunias, ad talem effectum necessarias.

Resp. Quod sic, concurrente tacita, & interpretativa voluntate Abbatis illam ad tale officium deputantis. Si enim officium exigit expensas, nec pecunia subministratur ab Abbatis, eo ipso quod monialis tali officio est deputata, censetur tacite concessa licentia recipiendi ea omnia, quæ pro tali munere obeundo sunt necessaria, quia concessa uno conceduntur etiam omnia, sine quibus non pervenitur ad ipsum, *l. 2. ff. de jurisd. omni.*

Quar. 13. An monialis, quæ indigens aliqua summa pecuniæ, quam unus superior non concederet, medietatem illius pecuniæ recipit de licentia Abbatis, & aliam medietatem de licentia Prælati, peccet contra votum paupertatis.

Resp. Non peccare, verum enim semper est, quod recipit cum legitime superioris licentia. Neque modo supradicto utitur in fraudem, sed utitur jure suo, quia si potest uterque superior cumulative concedere, poterit & monialis ab utroque postulare. Difficilius forsitan Prælati secundam licentiam concederet, si esset conscius de imperitica ab Abbatis, sed quia major difficultas concessionis non inducit defectum voluntatis in concedente, ut per *Sancti de matr. lib. 8. disp. 21. n. 11.* hinc est, quod per hoc non viatur licentia superioris.

Quar. 14. An, & quomodo moniales dilapidantes bona sive sibi concessa ad usum, sive communia Conventus, teneantur restituere.

Resp. Tradunt Armilla, Rosella, Tabiena, & Sylvester, non teneri, quia restitutio debet fieri ex proprio, quo caret monialis ratione vo-

ti paupertatis. Alphonus de Leone ait, monialem, si non habeat reditus, non teneri, nisi ad inducendum eum, cui dedit, ut restituat. Placet opinio Navarri, & Fagundez, qui obligant monialem in tali casu ad restituendum, non quidem restitutione proprie dicta, quæ non fit, nisi ex propriis bonis, sed restitutione improprie dicta, nempe abdicando a se usum proprii peculii, si quod habet, ea tantummodo parte retenta, quæ ad proprias indigentias absolute est necessaria. Non tamen tenetur magis laborare, vel sibi necessaria subtrahere, vel aliunde ab extraneis bona procurare, ex quibus debitam faciat restitutionem. Hæc duriora sunt, ideoque potius consulenda, quam præcipienda.

Quar. 15. Utrum monialis satisfaciat propriæ obligationi restituendi monasterio, si ex proprio peculio emat, v. g. lampadem argenteam ad usum Ecclesiæ, eique applicet, simulando donare, sed revera intendendo suo debito satisfacere, & hoc ad consulendum suæ famæ.

Resp. Videri quod sic, quia in contractibus vera, non simulata intentio inspicitur, unde si vera intentio monialis tendit ad satisfactionem, secundam hanc est judicanda satisfecisse. Patet a pari, nam si debitor in suo ultimo testamento leget alicui centum, cui item centum debet, suæ satisfacit obligationi, *l. si cum dotem, §. si patre, ff. soluto matr.* Legatum autem est species donationis, Gomez, Bartol. & communit. Doctores. Quare sicut satisfacit per legatum, debet etiam posse satisfacere per donationem. Ita in terminis Bord. in decis. Miscel. dec. 271. Verum tamen est, quod si monasterium indigeret necessariis ad monialium sustentationem, tunc puto, monialem non satisfacere, quia cum restitutio

ista fiat de bonis monasterii, & ad reintegrandum jus illius læsum, ea debet fieri juxta mentem probabiliter præsumptam Abbatisse, quæ administrat monasterii bona, & non aliter; posito autem, quod monasterium indigeat necessariis ad sustentationem, non potest præsumi, quod Abbatisa sit contenta, quod summa illa ad pompam expendatur.

Quar. 16. An votum paupertatis possit per consuetudinem abrogari.

Resp. Quoad substantialia non posse, quia quoad hæc votum est juris divini naturalis, contra quod non potest prævalere consuetudo; Quoad circumstantias vero, quibus votum observatur, posse abrogari non dubito, quia hujusmodi observantia, utpote inducitur jure humano, hoc est vel ab Institutibus regularium, vel a summis Pontificibus, poterunt ad instar aliarum legum per consuetudinem tolli. Ita Doctores communiter. Ad inducendam consuetudinem voti paupertatis abrogativam satis probabile est, quod sufficiat, si perseveret per decennium. Ita Suar. Mascard. Bonac. & alii. Quanquam non improbabile sit, quod tradunt Menoch. Medina, Sotus, & alii, scilicet, nullum tempus esse determinatum ad inducendam consuetudinem, sed arbitrio prudentis id esse persandum, qui pro negotii qualitate, & pluralitate actionum poterit tempus aut limitare, aut extendere. Præsumitur autem talis consuetudo, quando constat, eam passim practicari a monialibus etiam timoratis, & alias bene observantibus, idque scientibus, & non contradicentibus Prælati, sum facile possent contradicere.

Quar. 17. An epicheja possit habere locum

quo

quo ad dandum, & recipiendum sine expressa licentia Abbatisse.

Resp. Si in aliis obligationibus admittitur, cur in obligatione voti paupertatis, cum sit par ratio, debet excludi? Facilius tamen admittitur quoad recipiendum, quia melioratur monasterium, quam quo ad dandum, quia distractio bonorum monasterii est nociva, ideoque regulariter præsumitur superioribus involuntaria, non solum ratione modi, sed etiam ratione substantiæ talis actus; tantoque erit difficilior ista præsumptio, quanto major fuerit quantitas materiæ, sicut augebitur difficultas, si ea distractio fiat extra monasterium, si quidem ea inter moniales ejusdem monasterii facilius permittitur. Suarez. 2.3. de Relig. lib. 8. c. 15. n. 2. In rebus vero levioris momenti facilius potest admitti, scilicet in eluculentis, poculentis, & in rebus devotionis, quia quo ad hæc facilius superioris consensus potest præsumi. An autem monialis, quæ per epichejam dedit, aut recepit rem notabilem, teneatur postea id aperire Abbatisse, negant aliqui, quia ratio, quæ dedit titulum acceptioni, dat etiam titulum detentioni; quod intellige durante eadem ratione, alioquin detineret sine licentia Abbatisse, quod est prohibitum religiosis.

§. II.

De Pecunia, & ejus usu.

Quar. 1. AN moniales possint habere peculium.

Resp. Posse, præsertim in iis monasteriis, in quibus sive ob nimiam paupertatem, sive ob incuriam, & negligentiam superiorum non potest observari vita communis, sub.

subministrando omnibus, & singulis monialibus ea, quæ ipsis sunt necessaria juxta decenciam status. Ratio est, quia usus talis peculii non repugnat voto paupertatis, aut juri communi, ut bene ostendit Sanch. *lib. 7. cap. 22. n. 5.* neque Concilio Tridentino, quia *sess. 22. c. 2.* solum prohibet posse concedi peculium cum jure domini utiliter, quia hoc modo monialis possideret more sæculatum, quod facere non potest, id interdicens voto paupertatis. Quare moniales non debent uti peculio nisi de licentia Abbatissæ.

Quar. 2. An moniales ex vi voti paupertatis teneantur esse animo paratæ ad abdicandum a se ulum talis peculii ad nutum Abbatissæ.

Resp. Teneri; alias usus ille esset propriarius, si non dependeret a superiore, & talis independentia importaret usurpationem domini contrariam voto paupertatis. Ita Less. Navar. Peyrin. & alii cum Suarez dicente, quod licet moniales percipientes annuos redditus de superiorum licentia debeant esse in hac præparatione, ipsi tamen superiores non debent usum peculii auferre, nisi alio modo provideant necessitatibus monialium.

Quar. 3. An moniales teneantur abdicare a se peculium, si dubitent, Abbatissam non esse illarum necessitatibus provisuram.

Resp. Non teneri, nisi constet alia ratione earum necessitatibus consultum iri. Ita Lessius, & Peyrinus, qui addit, neque teneri monialem obedire Abbatissæ volenti peculium ei permillum auferre, ut sibi retineat, vel auferat illi soli; non aliis monialibus monasterii: quod tamen cum grano salis est intelligendum, potest enim adesse, immo in dubio debet præsumi justa cau-

sa,

sa; auferendi illi potius, quam alteri; qua existente, non potest monialis resistere Abbatissæ, & si resistat sive vi, sive murmure, & querimoniis, peccabit contra votum paupertatis, utpote exercens actum domini independentis, & consequenter voto paupertatis religiosæ repugnantis, sicut ex Lessio docet Layman; quamquam, quod spectat ad resistentem murmure, & querimoniis, non ita facile talis resistentia reputari debeat mortalis, nisi sit immoderata, & notabiliter excedens judicio prudentis.

Quar. 4. An moniales possint habere annuos census, & proventus, & expendere in licitos usus acquisita ex industria de suoribus superiorum licentia.

Resp. Posse & moniales habere, & superiores concedere, ad nutum tamen revocabilia, suadet ex jure communi *cap. fin. qui Cler.* ubi indulgetur, ut quædam mulier post professionem religionis maneat in domo sua cum omni substantia quoad usum; unde Gloss. in *cap. cum inter. 1. de elect.* dicit, quod non est contra substantiam monachatus, id est, contra votum paupertatis, ut religiosus de certis redditibus vivat, cum hoc possit superior concedere. Neque quo ad hoc aliquid innovavit Concilium Tridentinum, sed tantum prohibuit, ne concedantur annui redditus tanquam proprii, & irrevocabiliter; ut cum aliis citatis docet Bordon. *Consil. Regul. resol. 43. num. 51.* vel prohibuit posita reformatione, quia verba generalia intelligenda sunt, non secundum quod sonant, sed secundum subjectam materiam. Unde hanc distinctionem admittunt in præsentis casu Negal. 2. 2. *lib. 2. cap. 3. num. 7.* Sanch. & alii.

Quar.

Quar. 5. An moniali, quæ dum erat novitia, sibi fecit livellum, vel eidem jam professæ relictum fuit legatum sub ea conditione, ne Abbatisa, vel alius Superior se ingerat, fiat proprietaria, si illud accipiat independenter a Superioris licentia.

Resp. Fieri proprietariam, & peccare mortaliter, quia intendit retinere independenter a voluntate superiorum. Grassius *par. 1. lib. 3. c. 5. n. 41.* & alii communiter. Tenet tamen illud legatum, quia conditio illa, ne superior se intromittat, est turpis, cum repugnet voto paupertatis, ac proinde non vitiat legatum, sed vitiat, & habetur pro non adjecta.

Quar. 6. An monialis possit non exigere livellum sibi ante professionem reservatum hoc modo, quod confanguinei teneantur singulis annisolvere, vita durante, viginti scuros, si videbitur potere, & exigere, alter, si non ex gat, remaneant in bonis confanguineorum.

Resp. Contra Verrielluar *trakt. 3. quest. 36.* non posse non exigere, quia illa conditio arguit remissionem legati, quod est dare, secundum Bartol. *in l. peculium, 4. de peculio*; remittere autem, & dare sunt actus proprietatis, maxime in nostro casu, in quo forma reservationis livelli excludit voluntatem Superioris, unde violatur votum paupertatis non exigendo.

Quar. 7. An monialis bona sibi relicta ex testamento, & donatione, vel suis laboribus debita possit repudiare, rogando offerentes, ut hujusmodi tradant suis confanguineis, aut alteri extraneo.

Resp. Nullo modo posse, quia in illis immediate succedit monasterium, quod potest adire legatum, hæreditatem &c. sine aliquo fa-

Et

cto monialis, immo ipsa contradicente, ut pluribus citatis notat Sanch. *lib. 7. cap. 12. n. 35.* ad 41. Potest bene recusare eleemosynas, aliasque similes donationes, quia per solam oblationem talium eleemosynarum nulum jus acquiritur monasterio; peccare tamen contra charitatem ex communi Doctorum sentit Diana.

Quar. 8. An monialis peccet retinendo penes se peculium proprio usui concessum.

Resp. Non peccare sustinent aliqui, & colligunt ex Suar. *1. 2. de Relig. lib. 8. cap. 12. num. 9.* dummodo absit scandalom, & alias monialis sit parata dæctum peculium relinquere ad nutum Abbatisæ, vel alterius Superioris. Tunc enim animus revera non esset proprietarius; esto excedat in affectu, & modo custodiæ contra regulam, quia illa detentio de se, præscindendo ab usu, dominio, & proprietate, non est contra votum paupertatis, quia est tantum actus quidam materialis, non habens formam contrariam voto. Ita Herrera, & Enriq. *in Compend. Casu Moral. cap. 38. num. 42.* Oppositum tamen omnino sustinendum, maxime in monasteriis, ubi deputatur capsula communis depositorum, quia talis deputatio inuit, non esse mentem Superiorum alio modo permittere peculium, quam ipsum deponendo sub custodia monialis ad hoc officium deputatæ, quare illa retentio penes se est actus proprietatis, cum sit actus omnino independens a voluntate Abbatisæ; & quod detentio apud se sit actus proprietatis, patet *ex c. Monachi 2.* in quo statuitur poena contra sic detinentem tanquam proprietarium,

Quar.

Quar. 9. An moniales de peculio earum usui concessio possint aliquid ludo exponere.

Resp. Posse ex causa recreationis, & otii fugiendi; est enim quid bonum animum relaxare, & fugere otium, quod a religiosis potissimum est abhorrendum. Est autem necessaria ad minus præsumpta licentia, dum exponitur ludo pecunia. Ita omnes cum Major. *in 4. dist. 28. q. 13.* Quantitas vero debet esse moderata, scilicet, quod non excedat summam quinque aureorum in toto anno, ut voluit Sanch. Navar. Lugo, & Peyrin. *de subd. q. 2. c. 2.* ubi addit, id relinquendum esse arbitrio prudentis considerantis statum religionis, quantitatem peculii, & conditionem monialis.

Quar. 10. An moniales possint aliquid de peculio exponere negotiationi.

Resp. Neque de Superioris licentia hoc posse, cum negotiatio prohibeatur expresse omnibus Ecclesiasticis, ut videre est in omnibus cap. *dist. 88.* Hæc autem prohibitio temperari potest, ut non habeat locum. Primo, quando monialis intendit sublevare proprias indigentias, dum a monasterio non adjuvatur, quia non dicitur negotiari, qui non lucrit gratia, sed eo fine negotiatur, ut se alat, cum aliunde non habet, unde vivat, *Parinac. v. Clericus n. 169.* Negotiatio ergo non est, sed industria, quando ordinatur ad propriam sustentationem, Molina, Bonacina, Barbosa, & alii. Intellige, dummodo non arceatur a divinis ministeriis. Secundo excusatur, si unum, vel alterum negotium incidenter faciat. Diana aliis relatis *ref. 72 de Contrah.* Tertio, si negotium gerat per alium, quia per hoc non avertitur a divino servitio. Ita fere omnes cum Lessio *lib. 2. cap. 2. num. 6.*

Quar.

Quar. 11. An liceat monialibus emere boves, eosque colonis locare, vulgo *dare a giovatico.*

Resp. Negat Molina *de just. tom. 2. rr. 3. disp. 347. n. 24.* quia genus negotiationis est, atque adeo ipsis illicitum. Affirmat Lugo *de just. c. 3. disp. 26. sect. 2. n. 34.* emptio enim boum animo lucrandi nihil differt ab emptione domorum, prædiorum, & aliarum rerum animo pariter lucrandi; hæc non dicitur negotiatio: ergo neque illa. Fatetur tamen, si frequenter emerentur talia animalia ad eum usum, speciem aliquam negotiationis habere. Si vero semel empta diutius in eo exercitio detineantur, non agnoscit majorem indecentiam, quam si semel domus fuisset empta ad lucrandum, vel grex ad vendendum ejus fructus.

Quar. 12. An monialis possit ex peculio libere a Superiore concessio fundare censum, ut ex ejus fructibus post ejus mortem celebrentur Missæ pro anima ipsius.

Resp. Non posse, quia, cum quidquid acquirit monachus, monasterio acquirat; statim ac census fundaretur, acquireretur monasterio, & non esset amplius sub dispositione monialis fundatio, & proinde non posset supponere oneri Missarum. Pasqual. *in qq. moral. jurid. q. 159. num. 1.*

Quar. 13. An saltem possit tradere amico certam summam pecuniæ, ad effectum, ut post ejus mortem curet pro ejus anima Missas celebrari.

Resp. Pariter non posse. Quia monialis disponeret quidem vivens de tali pecunia, sed tamen causa mortis, ita ut dispositio non sortiretur effectum nisi post mortem. Hoc autem esset disponere per modum ultimæ voluntatis, quod

est

est prohibitum religiosis. *Ambros. Ingressi; Cod. de Sacrosanct. Eccles.*

Quar. 14. An possit dictam pecuniam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliqua Missæ in perpetuum.

Resp. Affirmant Ludovicus Lopez *lib. 2. de contract. cap. 40.* & Navar. *tom. 2. num. 41. de regul. qui volunt*, posse religiosos convertere in usus pios, & capellanas instituendas bona, quæ cum licentia expendere possunt in usus proprios. Ratio est, quia hoc non videtur repugnare neque ex parte donationis, quæ absolute moniali non est prohibita, si fiat cum debita licentia, quæ certe in hoc casu est præsumenda; si enim adest licentia convertendi dictam pecuniam in usus temporales, a fortiori præsumi debet, adesse convertendi illam in usum pium quia agitur de favore animæ. Neque repugnat ex parte rei donatæ, quia eo ipso, quod pecunia est distrahibilis, parum refert, quod in hoc, vel aliud opus distrahatur, sive per donationem, sive per alium contractum. Neque hoc est disponere per modum ultimæ voluntatis, quia eo ipso, quod disponit per donationem, disponit irrevocabiliter; de ratione autem dispositionis per modum ultimæ voluntatis est revocabiliter disponere. Et licet dispositio oneris injuncti continetur etiam post mortem, non per hoc dici potest dispositio per modum ultimæ voluntatis. Cum enim onus Missarum sit accessorium donationi, & accessorium sequatur naturam principalis, hinc est, quod sicut non est dispositio per modum ultimæ voluntatis donatio, neque talis est oneris dispositio.

Nimis laxa est hæc sententia, ideo eam non

audet admittere Molina *1. de just. disp. 140. col. 12.* & absolute eam reprobatur Pañ. *loc. cit.* Quia non intervenit vera donatio, sed deputatio dictæ pecuniæ pro celebratione Missarum; quare cum non transferatur dominium, sed remaneat semper penes religionem, non potest subicere Missarum oneri.

Quar. 15. An monialis possit ex peculio, ut supra concessio, aliquid pauperibus largiri.

Resp. Possit de licentia suæ Abbatisæ ad minus tacita; ea enim præsumitur respectu bonorum suo usui destinatorum, cum sit opus pium. Ita omnes cum Bord. *de Paup. Relig. c. 20. n. 32.* ubi extendit hanc facultatem ad erogandum etiam aliquid de communitate, scilicet panes, obsonium, vas vini, & hujus generis, maxime si necessitas sit magna; quia in his parvi momenti Abbatisæ non censetur invita, cum præsumatur charitatem habere erga pauperes. Quod si necessitas esset extrema, posset monialis supererogantius laboranti succurrere, etiam si Abbatisæ licentiam denegaret; quia in necessitate omnia sunt communia. Ita D. Thom. *2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.*

Quar. 16. Utum possit dare aliquid suis consanguineis pauperibus.

Resp. Possit; quia monialis habens peculium potest illud expendere in omnes eos usus, qui non adversantur rectæ rationi: subvenire autem consanguineis pauperibus, non solum non adversatur rectæ rationi; sed est opus maxime charitatis, ut pluribus probatur Bejas, Vega, Rodriq. Sanch. & Peyrin. *de subd. q. 2. c. 2. §. 6.* ubi dicit, quod potest dare usque ad summam decem ducatorum, vel etiam plurium juxta eorum indigentiam arbitrio prudentis pensandam, una, & pluribus vicibus in anno.

S. III.

De licentia requisita ad licite distrabendum.

Quar. 1. **Q**uid, & quotuplex sit licentia necessaria moniali ad effugendam violationem voti paupertatis.

Resp. Licentia est facultas faciendi aliquid licite, & valide dependenter a voluntate Superioris concedentis. Dividitur in expressam, quæ verbis datur, aut scripto; & tacitam virtuales permissivam, aut interpretativam, quæ fundatur in praxi, vel consuetudine, quatenus Superiores sciunt, subditas aliquid accipere, retinere, dare, vel consumere, & non contradicunt, cum possint, & proinde dicuntur consentire in actionem sui subditi.

Quar. 2. Ex quibus possit monialis bene interpretari voluntatem Abbatis, & rationabiliter credere, se habere ipsius tacitam, aut interpretativam facultatem.

Resp. Ex multis signis hoc potest colligere. Primo, si Abbatissa est affabilis, & benigna cum subditis, non rigida, non serupulosa. 2. Quando monialis est alicujus auctoritatis, & benemerita de religione. 3. Si agatur de rebus levioribus, & non magni momenti. 4. Juvabit cognoscere analogiam inter Abbatissam, & subditam; nam si profiteatur particularem affectum, habebit interpretativam licentiam plurium rerum. 5. Tacita licentia facilius præsumitur in monasteriis non reformatis, quam reformatis, dum in illis peculii usus est ex inveterata consuetudine indultus. 6. Erit utile examinare naturam etiam ipsius

licentiæ; si enim sit in utilitatem monasterii, seu etiam ipsius monialis, cur veniret deneganda? Non est necesse, quod hujusmodi licentiæ interpretativæ habeatur evidentia moralis, sed sufficit opinio probabilis cum formidine contrariæ partis, cum ad bonitatem actuum moralium sufficiat probabilitas, etiam moralis. Sanch. in sum. 2. 2. lib. 7. c. 19. n. 13. & ex eo Diana.

Quar. 3. An licentia tacita, seu præsumpta sufficiat ad evitandum vitium proprietatis.

Resp. Sufficere, quia eadem est virtus taciti, & expressi, l. Labeo, ff. de pællis. Et docet D. Bonavent. cum pluribus aliis relatis a Bordon. Conf. Regul. ref. 42. n. 27. ubi limitat responsionem, quando in monasterio adesset constitutio, vel præceptum, ut licentia expresse peteretur; & hoc procedit in monasteriis multum reformatis circa paupertatem, quæ per licentiam præsumptam maxime relaxatur; ut docent Lopez, Rodrig. & ex illis Sanch. loc. cit. n. 4. ad finem.

Quar. 4. Quas condiciones habere debeat licentia, ne monialis dicatur proprietaria.

Resp. Tres condiciones. Prima, quod sit voluntaria, quia procedit a potestate, quæ non nisi libere operatur in homine; unde extorta dolo, metu, aut fraude, nullus est momenti, dum Superior contra suam voluntatem facit, quod facere nollit. Ita Navar. Sanch. Castropal. & alii. Secunda, quod sit justa, nemini enim debet esse præjudicialis. Tertia, ut detur revocabiliter, aliter esset facere monialem proprietariam, ad quem effectum non potest licentia se extendere.

Quar. 5. An licentia concessa a superiore ad evitandas querelas a vitio proprietatis excuset.

Resp. Excusare; quia talis licentia licet secundum quod involuntaria, absolute tamen non desinit esse voluntaria; si enim esset de re peccaminosa, Superior vere peccaret. Eo ipso autem quod est voluntaria, operatur, quod monialis excusetur a vitio proprietatis. Pasqual. *99. moral. jurid. q. 200.* Idem ob eandem rationem dicendum est de licentia precibus importunis impetrata.

Quar. 6. An licentia debite petita, sed debite negata a Superiore, excuset monialem a transgressione voti paupertatis.

Resp. Non excusare, quia votum paupertatis adhuc obligat, cum nondum materia illa ex defectu licentiæ, licet debite negatæ, constituta sit extra latitudinem illius. Si tamen periculum sit in mora, aut immineat grave damnum, potest esse locus Epichejæ, per rationabilem voluntatem Superioris majoris; & si contingat, quod etiam Prælatus supremus licentiam neget, poterit esse locus interpretationi, & prudenter judicari, quod in tanto discrimine, & cum tanto incommodo lex, & potestas non obliget. Advertit tamen Castropal. *rr. 16. disp. 13 q. 23 n. 9.* licentiam debitam, & negatam excusare a vitio proprietatis, si sit debita ex parte tam religiosi, quam Prælati, non item solum ex parte Prælati.

Quar. 7. An sit tuta in conscientia monialis, quæ ex licentia Abbatisæ recipit, aut dat, non exprimendo in petitione licentiæ a quibus recipiat, vel quibus det, quos si sciret Abbatisa, talem licentiam non concederet.

Resp. Ex doctrina Molin. *disp. 209.* esse tutam; quia aliud est, Abbatisam esse in ea dispositione, quod si sciret causam, propter quam concedit licentiam, non concederet, aliud vero est

ro est esse in ea dispositione, quod si sciret causam, vellet concessionem nullam esse; hoc secundum, non primum facit invalidam concessionem. Quare cum licentiæ, ordinariè loquendo, absolute concedantur, dicendum est, quod Abbatisa concesserit primo, non autem secundo modo, quia in dubio præsumendum est pro validitate actus, consequenter concessionem esse validam, & monialem tutam.

Quar. 8. An monialis excusetur a vitio proprietatis, si de licentia Abbatisæ retineat superflua pretiosa, qualia sunt vasa aurea, cochlearia argentea, horologia, gemmæ, &c.

Resp. Excusari a Sylvestro, Grassio, & Bord. quia retinet dependenter a voluntate Abbatisæ, ad cujus nutum est parata resignare. Alii damnant tanquam proprietariam. Ita Navarr. Major. & Sanch. quia Abbatisa est tantum bonorum monasterii administratrix, non domina; unde concedere non potest superflua, cum jus non tribuat facultatem ad illicita. Alii volunt peccare mortaliter ex avaritia, non tamen esse proprietariam. In hoc censeo, monasteriorum qualitatem esse attendendam, & secundum rigorem paupertatis in illis videntem judicandum.

Si autem loquamur de superfluis ordinariis, & ad usum frequenter concessis; ut si moniali sufficeret unus habitus, & haberet quatuor, si duplex tunica, & sex haberet; puto, quod nisi res superflue sint in notabili excessu, monialis non peccat mortaliter, quia jam habet illas, ut suppono, dependenter a licentia vel expressa, vel tacita Abbatisæ; & alias esset valde difficile, & pluribus scrupulis expositum judicare, quando esset superfluum; plures namque res, licet simpliciter

non videantur necessariae, sunt ad melius, & commodius officium exercendum convenientes, & si pro hoc tempore non sint, pro alio erunt necessarie; amplius permittitur in monasterio, ubi non ervatur vita communis, & ubi moniales sibi consulunt ex sua industria, & peculio ad proprium usum concessio, quam in monasteriis, ubi servatur vita communis. Hæc fere omnia docent Villal. Sylvest. Garz. Suar. & alii.

Quar. 9. An monialis, quæ Abbatissæ, vel Prælato canonice visitanti occultat aliquid de superfluis, ne sibi auferatur, sit proprietaria.

Resp. Negat D. Bonaventura in opusc. de anima cap. 2. colum. 2. ad medium versic. 4. ubi ait, tunc tantum celare aliquid superiori habere proprii rationem, quando religiosus jussus virtute obedientiæ manifestare recusat. Oppositum sustinendum censeo, etiam si rem illam antea de Superioris voluntate obtinuerit, quia eo ipso, quod abscondit, ne sibi auferatur, non est animo preparata ad reddendum; qua animi præparatione deficiente incurrit vitium proprietatis, dum vult independentem, & ad suum libitum possidere. Ita Doctores relati a Barthol. a S. Faust. in *Theol. Relig. lib. 8. q. 126.* qui tamen excusant monialem sic occultantem, quando credit, vel res illas non fore auferendas, vel Superiorem esse quoad modum tantum, non quoad rem acceptam invitam; vel si celet ad effugiendam confusionem, aut etiam reprehensionem, quam timet, si deprehendatur cum sola licentia tacita possidere; vel ad tegendam culpam commissam accipiendo, & retinendo sine licentia, quam tamen intendit postea statim petere, aut saltem, ea non impetrata, res occultatas dimittere.

Item

Item excusatur, si res, quas occultat Abbatissæ, de proprii Prælati licentia detinet, quia Prælati consensu interveniente, vere possidet cum licentia, in cujus usu non dependet ab Abbatissa. Ita Jo. de Lugo *D. 3. de just. & jur. n. 156.* ubi subdit, non excusari monialem celantem aliquid Prælato inferiori, aut officiali subordinato, quando jussu superioris Prælati visitaret cubiculum. Nam eo ipso, quod inferior utitur facultate delegata, repræsentat personam Superioris delegantis, & nomine ejusdem procedit, *l. 1. §. qui mandatum, ff. de officio ejus, cui man. est jurisd.* unde si monialis aliquid illi occultet, perinde est, ac si occultet eidemmet Superiori. Sicuti neque excusatur, si Prælato successoris celet res illas, quas antea cum prædecessoris facultate possidebat. Barthol. a S. Faust. *loc. cit. n. 16.*

Quar. 10. Ad quem superiorem spectet licentiam concedere moniali.

Resp. Spectare ad Episcopum, si monasterium sit illi subditum, vel ad Prælatum Regularem, si sit exemptum, vel ad Abbatissam, nisi ex constitutionibus illius religionis, aut ex consuetudine, aut præcepto superioris Prælati architectata sit ejus facultas. Sanch. *lib. 7. cap. 19. n. 44.* Ratio conclusionis est, quia concessio licentiæ pertinet ad jurisdictionem administrationis; unde cum jurisdictio administrationis penes prædictos Superiores resideat, poterunt utique licentiam concedere. Licentia negata ab Abbatissa poterit concedi a Prælato, non e contra, quia major potestas minori prævalet. Licentia durat usque ad mortem impetrantis, nisi revocetur, unde a successore non est denuo impetranda, quia dicitur gratia facta,

E 4

quæ

quæ durat mortuo concedente, vel amoto ab officio, *Cap. relatum 19. Cap. Gratium 20. de off. deleg.* quæ intellige, nisi in contrarium extet statutum aliquod Religionis.

Quar. 11. Ad quam quantitatem possit se extendere Superioris licentia.

Resp. Varios in hac re esse de more Doctores. Putant aliqui, posse superiorem licentiam concedere expendendi decem, aut quindecim aureos singulis annis; alii duos, vel tres aureos singulis mensibus; alii totam illam summam, quam ipsemet Prælatus potest expendere; alii tandem rem hanc arbitrio prudentis remittunt pro magnitudine reddituum, monasterii consuetudine, personarum, & causarum qualitate &c. Ita Sanch. *l. 7. c. 19. n. 42.* ubi refert aliquos sentientes, Episcopum, vel Generalem, aut Provincialem respectu monialium exemptarum possessione majoris dignitatis licentiam concedere ampliorem. Hoc certe attendendum puto ex eodem Sanch. *de lib. c. 22. n. 20.* scilicet, an licentia sit ad expendendum de rebus monasterii, an de rebus traditis a consanguineis; nam in primis, quia plus læditur monasterium, quam in secundis, minor potest concedi summa, & major exigitur causa.

§. VI.

De Munerum largitione.

Quar. 2. AN Bulla Clementis VIII. de largitione munerum sit usu recepta, & obliget in conscientia.

Resp. Dubitat valde *Filliuc. r. 2. tract. 34. c. 3. q. 12. n. 81.* Non fuisse a Superioribus Regularibus usu receptam, absolute sustinet *Gratian. r. 2.*

disco-

discept. forens. c. 202. n. 17. cui adhærent *Megal. Valer. Homobon. & alii apud Dian. c. 7. in opere Coord. tr. 3. ref. 5.* ubi dicit, se non audere condemnare religiosum, qui sequeretur usum suæ Provinciæ, vel religionis legitime præscriptum, salvo semper &c.

Quar. 2. An monialis, quæ non acceptat aliud donum, sed rogat, ut alteri detur, peccet contra paupertatem.

Resp. Cum probabiliori sententia non peccare. Non enim peccat non acceptando, quia ex vi voti non jubetur acceptare, sed prohibetur acceptare sine licentia; neque peccat rogando, ut det alteri, quia ex vi ejusdem voti obligatur nihil dare, non vero obligatur non petere ab aliquo, ut ipse alteri donet. Neque valet, quod in hoc casu monialis donet indirecte; qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur. Nam ut bene notant *Sanch. & Cenedo*, tunc dicitur donatio indirecta, quando adest tacita acceptatio; donatio enim importat abdicationem alicujus juris sibi competentis; unde cum in hoc casu nullum fuerit acquisitum dominium, quia nulla intervenit acceptatio, nulla dicitur intervenire donatio, neque indirecta.

Quar. 3. An monialis possit cum licentia Abbatissæ facere amico, vel consanguineo Corporalia magni valoris, & recamaruras.

Resp. Cum *Bonac. Scottia. Valer. & Diana* posse, dummodo amicus, seu consanguineus subministret omnia necessaria; quia tunc non agitur de alienanda, seu donanda re, quæ sit monasterii, sed tantum agitur de non acquirendo, quo in casu Abbatissa potest præjudicare monasterio; ut communiter Doctores.

E 5

Quar.

Quar. 4. An monialis possit etiam donare supradicta sine licentia Abbatis.

Resp. Videri posse, dummodo, ut supra, subministrantur omnia necessaria. Ratio est, quia illa recamaturæ non pertinent ad bona corporis, sed ad bona animi, sunt enim partus ingenii, & ideo non comprehenduntur sub voto paupertatis, quod de sui natura abdicat solum dominium illarum rerum, quibus quis efficitur dives, quæ sunt tantum bona corporis, & quæ ordinantur ad sustentandam vitam, & splendorem ipsius, *l. jus alimentorum, §. 1. ff. ubi pupill. educ. deb.* & juxta ea, quæ tradunt Abbas, Salicet. Alexand. & Socin. Neque valet, quod affert, Bordonus, scilicet, quod labor, qui in hujusmodi artefactis impenditur, est pretio æstimabilis; unde monialis dando suum laborem disponderet de re pretio æstimabili, quod est contra votum paupertatis. Nam responderi potest, quod si recamaturæ, utpote bona animi, non cadunt sub jure religionis, nec etiam cadet labor in illis efformandis, quia tanquam accessorius sequitur naturam sui principalis. Tum quia ille labor non extrahit illas recamaturas a suo ordine, sed relinquit inter bona animi, atque adeo sub dominio monialis.

Quar. 5. An monialis possit sine licentia Abbatis, & sine voti paupertatis violatione suam pitantiam elargiri.

Resp. Posse. Quia in illis rebus, quæ unico actu consumuntur, non potest fecerni usus a dominio. Ita Joannes 21. *in extra, ad coadjutorum 9.* Sed cui confertur unum, conceditur utrunque. Hanc sententiam tenent Sylvester, Aragon, D. Antonin. & alii penes Dianam, qui vult, intelligendum esse in ordine ad pitantiam,

quæ

quæ limitate præbetur, ut sunt ova, caro &c. non vero in ordine ad ea, quæ conceduntur moniali sine taxa, & limite, ut est panis, vinum &c. quod si Superior ex rationabili causa, ad vitandum excessum, & abusum monialium, contrarium disposuisset etiam de pitantia limitate concessa, non debet, immo nec potest monialis de illa disponere, & hoc ratione præcepti, & boni publici.

Quar. 6. An monialis de annuis redditibus ex superioris licentia ad suum usum sine restrictione concessis, possit libere parce vivendo aliis donare.

Resp. Posse cum licentia saltem tacita Abbatis, quia Clemens VIII. in sua Bulla prohibet tantum largitiones munerum, ex quibus gravia incommoda, & mala monasteriis inferuntur; donatio autem eorum, quæ monialis parce vivendo reservat, non affert multum damnum monasterio, ut patet. Immo ex hac opinione datur occasio monialibus, ut liberius frugalitati, & moderato sumptui assuescant, dum sciunt, ea, quæ sibi de necessariis detrahunt, posse aliis de se benemeritis donare, & in aliis licitis operibus expendere. Ita docent Beja, Cenedo, Valer. & Peyrin, *z. 1. de subdit. q. 2. c. 2. §. 6.*

Quar. 7. An monialis donans Breviarium magni valoris, vel quid simile alteri moniali ejusdem Conventus, peccet contra votum paupertatis.

Resp. Negantem sententiam docere Rodriquex, quem affert, & sequitur Sanch. qui putat non esse mortale, quia, cum Breviarium illud manere debeat in eodem Conventu, non videtur esse graviter invitus Superior, parum enim extrahitur ab usu communi per illam donationem.

E 6 nem.

nem. Unde observat Suar. *t. 3. de Relig. lib. 8. c. 15. num. 6.* majorem quantitatem requiri ad culpam gravem, quando aliquis dat aliis religiosis ejusdem Conventus, cum res illæ maneat adhuc intra eandem communitatem.

Quar. 8. An monialis possit aliquid in remunerationem elargiri.

Resp. Posse; quia quando prohibetur donatio simpliciter, vel sub conditione, & sub modo, eo ipso non prohibetur donatio ob merita, quæ præcenserunt; nam donatio antidorialis non est proprie, & stricte donatio, sed est quædam debiti compensatio, unde hac de causa non debet inter simplices donationes computari. Homobon. Valer. aliique permulii penes Dian. *t. 7. in opere Coord. tract. 3. resol. 37. §. 2.* Immo non solum potest largiri, quantum satis est ad satisfaciendum obsequiis, vel muneribus acceptis, sed etiam aliquid ultra, dummodo tamen non excedat valorem meritorum, & beneficiorum in quarta parte, ut tenent Barbosa ex Navarro; & probabiliter hanc sententiam vocat Sanchez apud Dianam, *loc. cit.* quia, ut ait D. Thom. *2. 2. q. 106.* gratitudinis lex postulat, semper plus reddi, quam sit acceptum.

Quar. 9. An monialis habens ab Abbatisa licentiam generalem donandi aliquid, si illud donet ob turpem causam, peccet contra votum paupertatis, & recipiens teneatur restituere.

Resp. Negative; quia licentia generaliter concessa in aliis materiis non censetur limitari ad solos usus, vel casus aliunde non turpes, nec illicitos; sed in iis etiam aufert malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiæ. Sic licentia comedendi carnes

in

in Quadragesima est indifferens ad carnes proficuas, & nocivas, quia mens concedentis est, ut tollat omne id, quo posset violari quadragesimale jejunium. Cum ergo Abbatisa concesserit moniali licentiam generalem donandi pro libito, non est, cur præsumatur limitasse ad causam solum aliunde non turpem, sed potius voluisse auferre illud impedimentum ex parte sua, quo stante, peccavisset peccato proprietatis. Ita Lugo, Diana, & plures alii, quos citat, & sequitur Bordon, *de Pauper. relig. c. 17. n. 20.*

Quar. 10. An monialis causa mortis possit aliquid donare cum licentia Abbatisæ.

Resp. Posse, Sanch. Laym. Tapia, & Diana *loc. c. res. 65.* quia potestas testandi, & potestas donandi causa mortis non sunt connexæ, nisi in eo, qui ex defectu naturali non valet testari. Unde filiusfamilias, qui ac patre quidem consentiente potest condere testamentum, tamen mortis causa cum patris consensu donare potest. Ergo ex eo quod moniali interdictum sit testari, non per hoc interdicitur mortis causa donare. Adde, quod in hoc casu Abbatisa dans licentiam donat, & monialis eligit personas, unde non disponit proprie per donationem, sed per electionem personarum.

Quar. 11. An in casu, quo Abbatisa promittat moniali subditæ, se ejus bona distributuram post illius mortem juxta illius donationem manifestatam, teneatur stare promissis saltem in foro conscientiæ.

Resp. Si promissio sit distribuendi alteri moniali subditæ, non teneri; sicut enim rem ei datam potest auferre, sic & potest non dare. Si vero promissio distribuere extraneis, tunc censeo teneri; quia sicuti potest exiri obliga-

tio

tio ex iustitia inter dominum, & servum; eo quod dominus paciscens cum servo censetur cedere juri suo, ut ex Molina, & Lessio notat Sanch. *lib. 7. c. 9. n. 13.* sic, aitiple, eadem obligatio oriri poterit inter Abbatissam, & monialem subditam, cum sit par ratio.

CAPUT V.

De Voto Religiosa Castitatis.

Quar. 1. AD quid teneantur moniales ex vi voti castitatis.

Resp. Teneri abstinere a conjugio, & ab omni actu externo, & interno, qui sit contra castitatem, ut a turpibus cogitationibus, a delectatione morosa, a pollutione, ab omni actu venereo, a turpi contactu, & ab impudico aspectu, nec non ab aliis omnibus, quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Hinc est, quod monialis violat votum, si se exponat periculo violandi castitatem, quia periculum illud est actus in specie luxuriæ, virtuti enim castitatis opponitur; unde monialis se exponens tali periculo, non est formaliter casta omnimoda castitate, atque adeo violat votum, quod importat omnimodam castitatem.

Quar. 2. Quænam sit regula dignoscendi, quandonam monialis graviter, vel leviter peccet contra castitatis votum.

Resp. Transgressionem voti esse mortalem in illis actibus, in quibus malitia libidinis est in secularibus mortalis, venialis vero, in quibus illa est venialis. Ratio est, quia circumstantia voti castitatis non immutat obligationem juris naturalis, sed solum addit circumstantiam Sacrilegii, quæ circumstantia sequitur naturam actus, cui adjungitur, Lessius *de just.*

& *jur.*

& *jur. lib. 4. c. 41. n. 68.* Verum aliquando verba, gestus, & tactus, quæ sunt in secularibus solum venialia possunt esse mortalia in moniali; quia seculares talia observantes in religiosa grave scandalum possunt concipere, maxime, quia virgo Deo dicata debet esse, & appetere ab hujusmodi actibus aliena. Ad majorem tamen claritatem pro praxi sequentia quæstia subjungimus.

Quar. 3. An peccet mortaliter contra votum monialis tangens manum, faciem, brachia, & pedes alicujus viri.

Resp. Ex Tamb. *lib. 7. in decal. c. 8. S. 2.* si illi tactus fiant ex joco, levitate, & curiositate, nihil habent mali præter ipsam jocum, quia ut sic non aliam nisi naturalem pariunt delectationem. Si fiant ob solam delectationem non libidinosam, & ea delectatio assumatur quidem, sed non ad ullam libidinem veneream, peccat venialiter, quia ex una parte non habemus, unde ut sic sub mortali prohibita sit, si enim esset prohibita, inde esset, quia ad generationem, quæ sit illicita, refertur. Cum ergo illi actus, neque delectatio non referantur, non erunt mortaliter peccaminosi; & ex alia parte deordinatio nonnulla est, atque adeo venialis, iis uti actibus ob meram delectationem licet levem. Si vero fiant animo libidinoso, clarum est peccare mortaliter.

Quar. 4. Quid dicendum sit de aspectibus.

Resp. Monialem aspicientem partes viri honestas ex curiositate, levitate, aut vanitate, non ulterius progredientem, peccare tantum venialiter, quia in hoc non intervenit tanta inhonestas, nec provocatio tanta ad malum, sicut in tactu. Trullenc. *in decal. lib. 6. c. 1. dub. 12. n. 14.* Si vero aspiciat vel hominem nudum,

vel